

*Laus sapientiae et virtutum
Regum quorundam Danicorum*

571
Ilm
6550

RECTOR
ACADEMIAE. LIPSIENSIS
AD
PANEGYRIN. SOLEMNEM
QVA
AVGVSTISSIMO. POTENTISSIMOQVE
MONARCHAE
CHRISTIANO. VI
DEI. GRATIA
DANIAE. NORVEGIAE. VANDALORVM
GOTHORVMQVE. REGI
SLESVICI. HOLSATIAE. STORMARIAE
ATQVE. DITHMARSIAE. DVCI
IN. OLDENBVRG. ET. DELMENHORST. COMITI
SOLEMNIA. AVGVSTALIA
VNCTIONIS. ET. CORONATIONIS
FRIDERICIBVRG. DIE. VI. IVNII
CELEBRATA
IN. TEMPLO. ACADEMICO. LIPSIENSI
SVBIECTISSIMVS. EIDEM. CIVIS
NICOLAVS. REIERSEN
HAFNIENSIS
DEVOTISSIMO. ANIMO. GRATVLABITVR
HVMANISSIME. INVITAT.



RECTOR

ACADEMIAE LIBRARIIS

AD

PALESTRAM SOLEMNEM

AD

AUGUSTISSIMO POTENTISSIMOQUE

MONARCHAE

CHRISTIANO. VI.

DEI GRATIA

DAVIDE NORWICIAE VANDALORUM

GOTTFRIDUS

SESSOR NORWICIAE STORMANTAE

ET ALII

IN ORDINE ET DIGNITATE

SOLENNIA AVGVSTALIA

VICTORIS ET CORONATIONIS

REVERENDISSIMO

ACADEMIAE

IN TEMPIO ACADEMICO LIBRARIIS

ACADEMIAE LIBRARIIS


NICOLAUS REISSER

LIBRARIUS

LEONHARDUS GATVARTER

LIBRARIUS





Qvod felix faustumque sit, illuxit denique propitio
 fidere dies, quo **CHRISTIANVS VI.**
 Daniae ac Noruegiae post **OPTIMI PA-**
RENTIS fata **REX** ipsis natalibus debitam co-
 ronam, communi regnorum suorum salute, re-
 gio quo decet splendore, capiti suo aptari, sa-
 croque unktionis ritu felicissima regni auspicia fieri instituit. Dies
 omnium bonorum uotis prosequenda, precibusque consecranda
 piorum, quo certioribus experimentis eximiae pietissimi **REGIS** uir-
 tutes spem orbis terrarum confirmant, fore, ut bona, quae *unctio-*
nis solemnibus adumbrantur, largissima in **IPSVM** manu collata
 diuino fauore conferuentur, et in omnes Eius Maieitati subiectas
 terras et subditos ciues, a capite in membra abundantissime deri-
 uentur. Eum quidem solemnus illius sacri finem constitutum a pie-
 tate publica fuisse, antiqui ritus illius principia, suscepta in eo ser-
 uando illustrissimarum gentium uota testantur. Cuius rei non faci-
 le uetustiora ullibi, quam in sacris litteris uestigia deprehendimus,
 quippe quae perhibent, iussu diuino (a) sacrum quoddam fragran-
 tissimi iucundissimique odoris unguentum ex aromatum praestan-
 tissimorum oleique generosioris mistura confectum, quod cornu
 aliquo in sacratio adseruatum, ungendis rebus (b) ac Viris cultui
 Iehouae destinatis, denique etiam Regibus, Dei procul dubio in-
 stinctu, imbuendis in illorum inauguratione adhibitum fuisse: ut
 nimirum diuina auctoritate res ac praecipue homines uncti a sorte
 reliqua hominum segregati peculiaribus uiribus negotio perficiendo
 necessariis, (haut aliter ac balsamum reficere solet, quibus adlini-
 nitur) instruerentur, Deoque prae reliquis consecrarentur. *Da-*
uidem quidem certe isto oleo trina inbutum uice sacri annales do-
 cent,

) 2

(a) Exod. XXX, 22 sqq. (b) Exod. XXX, 26.

cent, (c) Deique hunc sibi adserentis effatum (d) dubitare nos non finit, quo testatur: *Auxilium heroi accommodaui, electum ex plebe extuli: nactus sum Dauidem meum cultorem, quem sacro meo oleo inunxi: quem sic manu mea stabiliam, sic lacerto meo confirmabo, ut eum nec hostes superare, nec opprimere ualeant iniqui homines.* Qua diuinæ uoluntatis declaratione tum ipse unctionis actus tum eius fructus et effectus satis puto luculenter significatur. Immo *Salomonis* exemplo magnificentius id ipsum illustratum inuenimus. (e) Zadock enim sacerdotum summus adsumto e Gibeone sacro oleo Salomonem ungens, ad Dauidem, cuius haec omnia iussu fiebant, ista boni omnis plenissima praefatur: (f) *Faxit lehouah Deus, Domine Rex, ut quemadmodum ipse Tibi adfuit, sic adsit etiam Salomoni eiusque solium etiam supra Dauidicum extollat.* Quare et ritus iste in aliis de Iudae stemmate regibus in primis ad componendas de successione controuersias obseruatus, in Dauid tamen ac Salomone eximie clarus et solemnis fuit; ita ut *uncti Domini* a nemine temere contrectandi, laedendique audirent, adeoque unctionis ista solemnitate diuina ipsis impressa imago, fragrans eximia uirtute ac sapientia habitus, et non uiolabilis a quoquam addita Maieestas, certe significata uideatur. Vnde et ipse *Regum Rex*, optimus maximus Seruator his typis adumbrari, *unctusque Domini* more modoque excellentissimo adpellari uoluit. Christiani certe reges istorum imitatione inde a *Iustiniani* uel Successoris eius *Iustini* tempore, (g) dum regni capiebant insignia, ungi etiam fueuerunt: a quo ritu *quatuor unctorum*, Hierosolymitani scil. Anglorum, Francorum et Siciliae *Regum* adpellatio in antiquo Prouinciali Romano, cuius auctor Tancredus ICTus esse creditur, (h) occurrit; postea autem, Goldasti iudicio, reliquis etiam Regibus alia atque alia aetate ita receptus fuit, ut in uniuerso orbe Christiano nullus forte Rex inueniatur, qui non solemniter *coronetur ac inungatur*, indeque *coronatio unctionem ex antiquo Ecclesiae ritu complectatur*; aliis hic alia singularia, Gallis praecipue ampullam Remensem oleumque S. Remigio coelitus adlatum, non sine ingenti uanitate iactantibus. Enimvero in eo sacrarum litterarum luce ducti conueniunt omnes: solemniter ista ceremonia Regum quidem dignitatem non oriri aut constitui, confirmari tamen et sacrosanctam omnibus significari, quod Reges ad peculiarem Dei curam pertineant, Eiusque potestatem, sapientiam, iustitiamque imperio suo ita referant, ut ipsius Numine tuti sint ac inuiolabiles. Quod, si qui alii, Danorum certe Reges agnouerunt, sanctissimaque religione sunt testati. Ita, quod *Meursius*, (i) grauissimus Danicarum rerum conditor, testatur, IOHANNES Secundus ex Oldenburgica gente Danorum Rex saepius illud in ore animoque habebat: *Non humana sapientia ulla gubernari regna posse, nisi Deus ea conseruare uellet: tum et frustra regem esse quamlibet praesidio humano undecunque instructissimum, ni consilia eius cuncta et actiones Deus regat.* Deum igitur adsidue uenerabatur, ut sapientiam sibi in ad-

mini-

(c) 1 Sam. XVI, 13. 2 Sam. II, 4. 2 Sam. V, 3. (d) Psalm. LXXXIX, 21.

(e) 1 Reg. I, 39. (f) 1 Reg. I, 36. (g) Onuphrius Panuin. de Rom. Imp. c. 2.

(h) Becmanni notit. dign. ill. dist. IV. c. 2. §. 3. (i) Hist. Dan. 2. p. 59 fq.

ministrandis regnis necessariam largiretur et consilia quoque sua in salutem ciuium fortunaret. Idem breui ante discessum ex hac uita filium suum CHRISTIANVM praesentibus e Senatu regni proceribus primo omnium serio hortabatur: (k) *Vt regnorum omnium largitorem et conseruatorem Deum reges qualescunque in sua potestate habentem ante omnia ueneretur, atque ab eo sapientiam et consilium in administratione regni petat.* Ad quod reuerendae maiestatis diuinae studium uti aliis Regum regnorumque uicibus, ita suo quodam praecipue periculo adductus fuisse uidetur. Quum enim anno MD XIII. rebus in Seelandia ordinatis, ineunte Ianuario, cum suis in Septentrionalem Cimbriam ius dicturus loci incolis proficiscens Balticum mare traiceret, orta subito tempestate in praesentissimum uitae periculum adductus, eoque uix tandem liberatus quum Niburgum adpulisset, *Vale, mare,* inquit ad id conuersus, *uale.* Ita enim in nos hodie saeuisti, ut deinceps non te nobis transitum concessurum sat ostenderit. Quod, quasi cecinisset ut uates, nunquam postea euenit. Breui enim post, facto per Fioniam itinere, Ripam delatus, aliquantulumque ibi commoratus aliud infirmitatis regiae, Deique maiestatis experimentum cepit, urbe Ripa marinis aquis ita derepente cincta, ut obsessus quasi plures dies iisdem esset: quae res istam Regi optimo cogitationem excitauit, (l) quam adstantibus Consiliariis his uerbis exposuit: *Ecce Regem Regum, Dominumque Dominantium! merito ipsum supra omnes quae in terris potestates ueneramur, qui non ullo telo bellico machinaue, sed hoc uno elemento inuitos nos oppido hoc clausos tenet. Igitur, quas hostibus nostris nunquam dedimus, nunc Altissimo, cuius terra atque mari infinita est potentia, ultro uicti manus damus. Huic sit laus, honos et gloria!* Non minora sunt, quae de CHRISTIANO TERTIO sapientiae regiae documenta relata legimus a Meursio (m) et Hammelmanno (n) quod quum coronam solemniter sibi more a Ioan. Bugenbaggio Pomerano VIII. Kal. Quint. A. C. MD XXXVII. inponendam curasset, mox ad pacis conuersus artes omnium primum inueteratam Pontificum idolomaniam a patre inpugnari coeptam summa felicitate euerterit, sustulerit, extirparit, lucem uerae doctrinae reddiderit, republ. continuis bellorum procellis quassatam pace, legibus, et omnibus ornamentis ciuilibus recrearit, iudicia restituerit, Academiam Hafniensem collapsam instaurarit, summae denique rei tanta dignitate praefuerit, ut omni uirtutum genere non solum suis ciuibus, sed uniuersis Europae regibus antecelluerit, princeps pientissimus, christianissimus, inuictissimus, in quo quis dubitet,

Iustitiaene prius memoret belluae labores?

Et hoc ipsum est, quod in FRIDERICO IV. Daniae ac Noruegiae Rege rebus humanis superiori anno, primo post natalem die XII. Octobr. crepto miratur Dania, laudat Europa, ipsa etiam luculentissimis documentis experitur ad solis ortum sita India. Plura quidem non capit haec pagina, unum tamen atque alterum addere officium postulat. Nulli regum IS prudentiae, iustitiae, clem-

) 3

tiae

(k) l. c. p. 58. (l) l. c. p. 58. a. (m) Meursl. βασιλικών. gen. p. 362.

(n) Chronol. opere P. III. p. 349.

tiae studio cessit, pietatis palmam pluribus praeripuit. Qua cura, caritate, clementia, Hafniae ciues complectebatur, fouebat, iuuabat, quum an. MDCCXXVIII. XX. Octobr. die urbs augusta ferali incendio corripereetur, furentibusque uentis latius ignis propere fusus per tres fere dies exitiali rabie cuncta depasceret, infinita licet hominum copia prohibere conante, quod alueus ab altera urbis parte paullo remotior et uentorum ui penitus ferme exsiccatus esset, iamque nullum fere consilium neque sollertissima opera restinguendis uel cohibendis flammis sufficeret, sed cum ipsa curia, ingentes magnificarum aedium series, templa aliquot augustissima, omnia Academicae iuuentuti fouendae docendaeque destinata aedificia publica, instructissima bibliothecae, speciosissimum Orphanotrophium, ultra mille et septingenta aedificia duaeque adeo urbis tertiae partes in cineres collaberentur! Bone Deus, qua sollicitudine, cautione, opera, prohibere ciuium res aedesque a flammaram exitio; qua animi concitatione ipse non minus, quam *PRINCEPS PATERNAVM uirtutum terrarumque HERES* equis aduectus ciues ac milites ad fidam aduersus flammae impetum operam praestandam, precibus, praemiis, imperio, exemploque regio instigare; qua clementia miseros pascere, litterarum studiosos suis iam sedibus extorres fouere, quam sollerti munificentia deletas aedes ordinatius instaurare, damna compensare, suis rapta aut in cineribus inuenta restituere; quam paterna caritate recreare, omnia magnificentius reparare studebat, curabat, laborabat, tandemque quod ipse tanto conatu inchoarat, felicissime perficiendum HEREDI tradebat! Quae uti digna tanto Rege cura; ita augustius etiam, quod *de fide Christiana inter Indos nascenti soli propiores propaganda* Eidem continuandum reliquit negotium. Primus id consilium condendae inter Indos Christianae gentis augusta pietate ceperat FRIDERICVS IV. Daniae ac Noruegiae Rex, quumque inde ab anno MDC XXI. per foederis cum *Taniouriae Rege* initi rationes, *Tranquebariae* urbis, in ora *Coromandeliae* maritima ad sinum Gangeticum sitae, possessionem potentissimi huius principis Maiores obtinuissent, et ad Ipsum adeo per successionis uices haec iura continuarentur, nihil prius et antiquius habuit REX optimus, quam ut suae quasi ditionis incolas idolorum superstitione et crassa, qua laborabant, ignorantia diuina ope eriperet, puraque Euangelii luce, quod non curant, qui a Lusitanis Hispanisque eo iamdudum mittuntur, inbueret. Quae res, communicato cum Theologis uerae pietatis ac sapientiae laude inclutis consilio, inter asperrimas difficultates precibus uotisque adiuta piorum prosperrime cessit, et plurima fauentis diuinae prouidentiae documenta uidit. Primi certe sacrae legationi obeundae a Venerabili tum Hallensum Theologo *Augusto Hermanno Frankio* commendati, a Potentissimo Danorum REGE destinati *Ziegenbalgius*, et *Plutschowius*, qui an. MDCCV. mense Nouembri naui commerciorum causa Hafnia ad Indos properante sacris ibidem operaturi auehebantur, an. MDCCVI. m. Iulio feliciter Tranquebariae portum ingressi, linguaeque, cuius apud eam gentem usus erat, facultate intra aliquot menses inbuti non Lusitanico tantum idio-

mate

mate Christianae doctrinae elementa iuuentuti tradebant, sed domestica etiam genti lingua cum Indis agentes altius iam eiusdem femina illorum animis, condito nouo doctrinae *feminariorio*, quo tenerae pubi *Damulicae* Christianismi placita proponerentur, instillabant. Tum porro eadem lingua *Lutheri Catechismus, excellentiora N. T. capita*, quibus praecipua fidei Christianae dogmata continentur, praestantissima insuper *ecclesiae Cantica ad modulos accommodata Europaeis solemnes* uulgabantur, iamque post duorum annorum decursum primi disciplinae sacrae alumni satis doctrina Christiana inbuti sacri baptismi fonte in Danico templo mercatorum usui destinato initiabantur, tanto aduulorum inter gentiles adplausu, ut ex illo tempore multi uirilem aetatem adsecuti legatorum e Dania Doctorum se disciplinae traderent, breuique tempore cum inpuberibus, numerosam satis pro temporis istius modulo Ecclesiam constituerent; cui *propria aedes*, qua cultus diuini solemnitas sacrorumque mysteriorum administratio rite obiretur, anno millesimo septingentesimo septimo inter ardentissimas preces solemnesque laudes diuino Numini decretas sub gratissima *nouae Ierosolymae* compellatione extructa, inaugurata fuit. In quo augendae rei Christianae studio etsi duarum nauium, quae impensas aedi sacrae extruendae aliisque rebus parandis factas e Dania ipsis erant adlaturae, naufragio maximopere impediri uiderentur; alienis tamen interim praesidiis adiuti rem urgere diuino animi feruore non destiterunt, donec an. MDCCIX m. Iulio inter creberrima patientiae fideique comprobandae experimenta nauis Danica non solum tria millia thalerorum ex augustissima REGIS indulgentia et amicorum Germanorum liberalitate collecta, sed tres etiam egregios diuini operis adiutores, *Gründlerum, Boeuingium et Iordanum* adferens rem ipsorum et spem maximopere recrearet. Tum igitur quidam ex alumnorum disciplinae suo numero satis iam confirmati laborum in formanda iuuentute aliisque gentilibus ad puriora sacra adducendis focii constituebantur: tum ipse clarissimus *Ziegenbalgius* frequentes inter uicinos accolae migrationes subiens, sermonesque cum ipsis socians ac libellos de doctrina Christiana Malabarice scriptos diuulgans ad plurimos diuinam ueritatem propagabat. Tam laetis successibus eodem anno uelut auspicatissimum sidus ingens et insperata prorsus *Anglorum* adfulgebat munificentia: quum reuerendissimi *Tennisonii* praesidis *societatis propagandae fidei illustris* auctoritate celeberrimique *Chamberlainii* commendatione, obstetricante in primis *propagandae Christi cognitionis societate* collecta ex omnium Ordinum liberalitate magna pecuniae summa instructissimus typorum etiam Malabaricorum apparatus, non exigua chartae copia, aliquot typographicae artis periti, selectissimi libri. an. MDCCXI. ad Indicae Ecclesiae pastores ablegarentur: Quibus diuini operis adiuuentis excitati sacrae legationis focii nouo ardore rem Christi urgebant: *Noui Testamenti uersionem Malabaricam prelo subiiciebat Cl. Ziegenbalgius A. MDCCXIV.* adeoque purissimum diuinae ueritatis fontem iis aperiebat, quorum animos adhuc coelestis doctrinae rore irrigarat. Quumque *hic* exantlato, quod in Europam non sine in-

gentis

gentis legationis commodo susceperat, itinere, A. MDC CXIX. mortalium rebus ereptus esset, *Gründleri* in primis ac *Schulzii* opera et post *Gründleri praematura fata* solius fere *Schulzii* ministerio ac indefatigabili industria *Vet. etiam Testamenti Malabarica Versio A. MDC CXVI.* addita fuit. Quibus praesidiis suffulti *Schulzcius*, Evangelicae legationis Senior, *Dalius*, et qui A. MDC CXIV. eo abierunt, *Bossius*, *Waltberus* et *Pressirius* continuis laboribus dignisque legatione sua operis rem Christi novis quotidie, diuina fauente gratia, accessionibus augent, cumque coetibus suis spectatiuis in dies florentibus pias pro Augustissimo Danorum Rege illustris missionis Statore preces fundunt. **CHRISTIANO** quidem **SEXTO** Regi hoc die uncto datis ad ipsum V. Octobr. A. MDC CXVI. litteris sanctissime testati sunt, (o) *se pro Augustae Domus Ipsiusque in primis salute felicissimoque futuro imperio proque urbis Tranquebariae reique apud Indos Christianae incrementis ac prosperitate preces ad Deum ardentissimas fusuros.* Quarum summa ista esto: Ut bis ratum sit de **CHRISTIANO SEXTO**, quod **TERTIO CHRISTIANO** tributum legimus (p) elogium: *Princeps pientissimus, cuius domus templum fuit Spiritus S. prudentiae oculus, libra iustitiae, fortitudinis sedes, regula temperantiae, honestatis exemplar, fons gratiarum, Musarum chorus, doctorum Gymnasium, Theologorum sacrarium, pauperum mensa, refugium innocentium, praesidium miserorum.* Cuius quidem tot iam augustissima spei documenta orbi terrarum dedit **CHRISTIANVS VI.** ut regna confidere possint sua, talem perpetuo futurum, qualem Princeps heres iisdem se exhibuit. Id gaudent hoc die Dani, laudant Noruegi, Gothi, et quicquid ad uerticem Arcticum Eidem subiectum est populorum, plaudunt denique et orientem hunc solem uera religione uenerantur remoti ad nascentem solem Indi. Apud nos etiam suae pietatis memor in **PATRIAE PATREM** huius diei solemnitate oratione comitissima, qua *tanti Regis Virtutes uenerabitur*, consecrabit Vir iuuenis Nobilissimus **NICOLAUS REIERSEN, Hafniensis**, pietatis ac singularis, qua sacris litteris in hac alma adhuc uacauit, industriae laudibus, morumque decora elegantia conspicuus; Comites Illustrissimos, Proceres ac Patres utriusque Reip. grauissimos, Iuuenesque studiosos generosissimos, humanissimos, ac omnes, quibus **TANTI REGIS** uirtus ac felicitas cara est, qua decet, humanitate rogamus, ut Panegyrim hanc auguralem **CHRISTIANO VI.** Danorum etc. etc. Regi dicatam praesentes ornare, uotis ac precibus suis celebrare, eoque fine die VI Iunii audita hora VIII. matutina in templi Nicolaitani sacello haut grauatim conuenire, nosque inde in templum Academicum comitari dignentur. Lips. Domin. II. p. Trinit. MDC XXXI.

(o) Danicae ad Indos missionis sacrae narrationis Contin. XXIII. p. 987.

(p) Hammelmann. Chron. Oldenb. I. III. c. 13. p. 349.

*Laus sapientiae atque virtutum
Regum quorundam Danicæ*

Ilm
6550

RECTOR
ACADEMIAE. LIPSIENSIS
AD
PANEGYRIN. SOLEMNEM
QVA
AVGVSTISSIMO. POTENTISSIMOQVE
MONARCHAE
CHRISTIANO. VI
DEI. GRATIA
DANIAE. NORVEGIAE. VANDALORVM
GOTHORVMQVE. REGI
SLESVICI. HOLSATIAE. STORMARIAE
ATQVE. DITHMARSIAE. DVCI
IN. OLDENBVRG. ET. DELMENHORST. COMITI
SOLEMNIA. AVGVSTALIA
VNCTIONIS. ET. CORONATIONIS
FRIDERICIBVRG. DIE. VI. IVNII
CELEBRATA
IN. TEMPLO. ACADEMICO. LIPSIENSI
SVBIECTISSIMVS. EIDEM. CIVIS
NICOLAVS. REIERSEN
HAFNIENSIS
DEVOTISSIMO. ANIMO. GRATVLABITVR
HVMANISSIME. INVITAT.

